

Hæc & alia multa recenset supra laudatus Autor,  
additâ asseveratione se multum turpiora silentio in-  
volvisse. Sanè nemo est, qvi non commoveatur a-  
nimo, potuisse hominem adeo desævire adversus  
universum suæ naturæ genus. Sed Ethnici fuerunt:  
Prædones fuerunt: Sinenses fuerunt, qvi neglecto  
Dei cultu adorarent Diabolum. Galli autē, qvo ma-  
gis ad politiorem Religionis & Virtutis normam  
assurrexisse putantur, eò minus habent, cur suam  
ſævitiam vel cum ethnicorum factis comparare,  
vel aliquo incrustamento prudentioribus homi-  
num oculis eripere conentur.

Plura non addo: nam exactiora nostris relinqvenda erant Orato-  
ribus, qvorum is futurus est ordo,

I. Dn. GEORGIUS CHRISTOPHORUS AR-  
NOLDI, Burgvverbienſis Misnicus

Succinctam universi negotii historiam exponet, qvomodo jam à Fran-  
cisci I. temporibus & creverint & decreverint Reformati: excitatis  
commilitonibus, ad placidam rei tam singularis disqvititionem

II. Dn. CHRISTIANUS Seidler/Brigâ - Silesius  
Quasi ostensurus nihil esse tam absurdum, qvod coloribus Rhetori-  
cis non possit commendari, Lanienæ suscipiet excusationem.

III. Dn. JOHANNES ADOLPHUS NICOLAI,  
Dresdensis Misnicus

Ex hisdem Principiis evincet contrarium, excussis fundamentis qvæ  
in defendendo hoc negotio haberis solent pro firmiss mis.

Exercitium ejusmodi est, ut facile queat alicere Auditores: Sed ta-  
men superfluas addimus preces, velint Utriusqve Reipubl. Proceres  
eidem suam non invidere præsentiam, reciprocas exhibitori gratias,  
sicuti faventior illuxerit occasio. P.P. d. 22. August. M DC LXXII.